

VIAE PVBLICAE GALLIAE CISALPINAE.

Viae publicae quae fuerunt per tres regiones hoc volumine comprehensas decimam sive Venetiam et Histriam, undecimam sive Transpadanam, nonam sive Liguriam, et duo regna praefecturasve Alpium Cottiarum et Maritimarum, magnopere differunt a publicis viis Italiae mediae et inferioris. Quamquam ad liberae rei publicae tempora discrimen id non pervenit; immo hac aetate non paucae in his partibus viae stratae sunt consulares censoriaeque, quales fuerunt Postumia strata a. 606 a Genua per Placentiam et Cremonam ad Alpes et mare Hadriaticum (v. n. 8045), Popillia Flaminiae continuatio strata a. 622 ab Arimino ad Padi ostia et ulterius (v. n. 8007), Aemiliae Scauri duae stratae a. 645 altera Aureliae continuatio Volaterris Vada Sabatia (v. p. 885), altera Vadis Dertonam adiuncta Postumiae (v. p. 827); quibus fortasse addendae sunt minores Annia (v. p. 935), Fulvia (v. p. 831), Vibia (v. p. 825 et n. 8081), aliae hodie ignotae. Hae viae omnes quamquam non ab urbe Roma milia numerant, id quod de Popillia constat, de reliquis probabile est, non magis milia eo tempore numerabantur per territoria rerum publicarum, fueruntque omnino non minus publicae populi Romani quam quae ab ipsis urbis portis proficiscebantur. Sed imperante Augusto cum viarum primariarum cura ad principem translata est, ex harum regionum viis unica ad eum pervenit Iulia Augusta pergens Placentia Vada et inde ad Varum, refecta auctaque ab Augusto a. u. c. 740/1, quae utpote Aemiliae (Lepidi) pars extrema sub eius viae curatore fuit (v. p. 953). Similiter postea idem Augustus a. 752/3 viam aperuit a Concordia Noricum versus (v. p. 936), Claudius a. 47 viam Claudiam Augustam Altino ad Danuvium (v. p. 938), Vespasianus a. 78 et a. sequente Titus viam Flaviam Tergeste Polam (v. p. 934); quae viae ut ab imperatoribus institutae sunt, ut per eas regiones Transalpinae cum Italia coniungerentur, ita milium per territoria numeratorum indicia nulla habent. Posteriorum imperatorum quae nomina inscripta habeant columnae miliariae dempta via Iulia Augusta, quae habet non paucas Hadriani et Caracallae, per universum hunc tractum late patentem et prae reliqua Italia opulentum florentemque ad principium usque saeculi tertii plane deficient, sine dubio ob eam causam, quod principes viarum harum curam municipiis universam tradiderant, haec autem eam non ita agebant, ut scriptos miliarios publicarent. Quamquam inscriptiones viarum forma municipali conceptae quaedam inveniuntur, ut in transitu Alpium Foriuliensis (n. 1862—1864) et Ossolanae (n. 6649).

Tertio saeculo redeunt, ut dixi, inscriptiones columnarum imperatoriae, sed raras admodum et paene singulares: neque enim repperi nisi Caracallae unam n. 8063, Maximini tres n. 7989. 7990. 8076, Decii duas n. 8023. 8028, Galli et Volusiani unam n. 8075, Gallieni unam n. 8009. Accedit principis incerti nomine eraso n. 7992. Augetur numerus sub Diocletiano, cuius collegarumque novem repperi n. 7994. 8010. 8016. 8022. 8038. 8042. 8047. 8057. 8068. Primo casu cippi omnes scripti sunt excepto uno Diocletiani collegarumque n. 8042, Caracallae autem et Maximini ita concepti, ut vias eas de quibus agitur satis appareat reffectas esse non municipiorum decretis, sed ex praecepto principis. Deinde reperiuntur numero multi, tertio casu scripti omnes fere (exceptionem faciunt n. 8010. 8014. 8015. 8071. 8077. 8078), scilicet hi: Chlori n. 8018. 8019; Constantini Maximini Licinii trium Augustorum n. 8021. 8060; Maxentii n. 8000. 8015. 8017. 8039. 8052. 8054. 8055; Constantini et Licinii opinor n. 8081; Constantini solius cum titulis a. 328 ad eandem formam aequabiliter repetitis n. 8004. 8005. 8011. 8025. 8040. 8041. 8065. 8069. 8070. 8072. 8079. 8080 (similis est n. 8059 a. 329), diversis formulis n. 8013. 8014. 8027. 8048. 8082. 8108. 8109; Crispi n. 8001 (cf. n. 8062); Crispi, Licinii filii, Constantini II n. 8015; Constantini I, Crispi, Constantini II, Constantii II n. 8030; Constantini II Caesaris n. 8051; Constantini II, Constantii II, Constantis Caesarum n. 8043. Sequuntur Constantii II et Galli 8073; Magnentii n. 8061. 8066; Iuliani n. 8024. 8035. 8036. 8053. 8056. 8061. 8071. 8077. 8078; Ioviani n. 8012. 8034. 8037. 8042. 8046; Valentiniani et Valentis n. 7991. 7993. 8020. 8029. 8031. 8032. 8044. 8060. 8066. 8078, quorum quinque n. 7993. 8029. 8031. 8032. 8044 *devota Venetia* collocavit, unum n. 8060 *Ticinum devotum*; Valentiniani Valentis Gratiani n. 7988. 8031. 8032; Valentis et Gratiani n. 8008; Valentiniani II Theodosii Arcadii n. 8058; Magni Maximi et Flavii Victoris n. 8026. 8030. 8032. 8033. 8049. 8050. 8056. Hoc omnibus commune est numerum milium ubi habent adscriptum, ibi ea numerari ab oppido eo, cuius in pertica titulus staret; a qua lege sola via Verona Tridentum aliquatenus recedit repertis inter Alam et Roveretum miliaris numeratione modo a Verona ducta, modo a Tridento (v. p. 947). Sive igitur miliarii hi positi sunt ex decreto municipiorum sive iussione principali, viarum cura non ad fiscum pertinuit eo tempore, sed ad res publicas municipiorum, ut per suum quaeque territorium vias munire et reficere iuberentur.